

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 91. (*Neovidensis* 1805. Nro. 94.)

*Ex Campis Elysiis*

*Colloquium Politicum vita functorum.*

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 13. Dec. 1805. (*Neov.* 22. Nov.)

Qui aut tempus, quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, rationem non habet, is ineptus esse dicitur.

*Tull.*

Colloquentes

*Vasco de Balbao, & Stephanus Claviere.*

*Claviere.* Quemadmodum æquales opiniones, ita etiam æqualia fata conciliant inter homines amicitiam. Hac de causa cupio tuus fieri amicus.

*Vasco.* Fatorum meorum alia fuit ratio, atque tuorum; Ambo tamen periniqua utebamur fortuna; Et hoc satis est, ut necessitudinem ineamus.

*Claviere.* Tempus quo vixisti, & peristi, docet, quanta tunc adhuc regnaverit in mundo barbaries, & quomodo Reges Hispaniæ omnem virtutem, quæ in coeca obedientia non fundabatur, fuerint persecuti.

*Vasco.* Erantne tempora tua ætate meliora? Nullus erat Rex, qui fuisset virtutem insectatus; quis ergo te induxit, ut violentas tibi inferres manus? Barbaries tuorum temporum. Altera, quam cui adhærebas factio, te in miserias coniecit. Ego existimo omnia tempora, si eorum injustitias inter se comparemus, sibi esse simillima, et non nisi eorum rotam, qua in voraginem æternitatis feruntur, cursu distingui.

*Clavere.* Observo tibi etiam trans Lethen inesse notam servitutis; Non es aptus pro cive Reipublicæ.

*Vasco.* Esse potest, ut verum dicas; putasne sortem tuam fuisse meliorem, dum te ut genuinum Reipublicæ civem carceri manciparunt?

*Clavere.* Illa erant injusta, & tristia tempora. Non eram ego Martis alumnus.

*Vasco.* Id mihi notum est. At experientia est sapientiæ magistra, quam sequatur, oportet, quicumque de Reipublicæ constitutione, & hominum sorte loqui cupit. Bonum est, quod præsto est, optimum tempus est præsens; Qui se longius effert, & aliam meliorem Reipublicæ formam optat, turbulentum nactus est ingenium, alios probos conturbabit, talis pellendus est, aut in custodiam dandus. Domus correctoriæ, & triremes ita olim Venetiis replebantur, sicut pontificii portus, in quibus, qui se ipsos emendare neglexerant, vi ad perfectionem cogebantur.

*Claviere.* Quid autem ratio?

*Vasco.* Sana mens optime perspicit, quid homini prosit, & qui plura desiderat, atque ideis de perfectione, justitia, & libertate aliquando reipsa eventuris occupatur, ille sine ambagibus potest in turrim stultorum compingi, secus enim alios etiam honestos inducet in errorem. Ego sum ex Hispania oriundus, & omnes meorum temporum eventus sedato animo spectavi.

*Claviere.* Et quas faceres modo observationes, si tibi adhuc vita suppeteret?

*Vasco.* Omnes bellorum acies, & omnia jura bellica in eodem nunc, in quo olim statu perseverare, per ideas de perfectione, quas modo ita metaphysice aucupamur, nec bella imminui, nec nonaginta novem calamitates, quibus humanum genus opprimitur, & quas nec commemorare lubet. Ceterum, si mihi ut Hispano loquendum sit, non possum hostes meæ patriæ æquo animo intueri, Anglia mihi est exosa. Non contenta, quod possideat coloniam in ipso regno nostro, privavit nos ditissimis possessionibus. Ex præsidio Gibraltar invidet nobis nostram felicitatem, atque oculos convertit in mare, quo circumdamur, cum dominatione. Nunc autem audi, quid acciderit, audi ex ore terribilis victoris, quomodo describat nostram cladem.

*Londino 7. Novembris.* Heri vesperi extra ordinem editæ Aulicæ ephemerides continent duplices litteras Pro-Admiralis Collingwood; primæ scriptæ sunt in navi Curyalo ad pro-

montorium *Trafalgar* die 22. Octobris; secundæ ante portum Gaditanum 24. Octobris, in utrisque datæ de navali prælio relationes confirmantur. Prima epistola inter alia ita habet: In potestatem Suæ Majestatis classis deventerunt 19. naves primæ magnitudinis, (inter eas autem duæ maximæ Sanctissima Trinitas, & S. Anna) cum tribus majoris ordinis ducebus, utpote Admirali Villeneuve, supremo duce, Ignatio Maria d' Aliva, Proadmirali, & Hispanico Contra-Admirali Ballazar Hidalgo Zisneros.

Epistola Pro-Admiralis Collingwood data ad secretarium Collegii rei navalis V. Marsden; In navi *Curyalo* ad Gades 24. Octob.:

Domine! A die 22. continua habui infortunia, quæ nulla humana prudentia, nec mea dexteritas poterat præcavere. Die 22. flabat terribilis notus; interea 13. vel 14. captæ naves ad occasum versus tractæ sunt, ibique congregatæ; at 23. turbo, & mare ita increvit, ut nonnullæ hostiles naves noctu abriperentur, mergerenturque; Reliqua pars hostilis classis ex 10. navibus constans, quæ in prælio non adeo multum passæ erant, appropinquavit ad meas labefactatas naves, & videbatur voluisse eas adoriri. Coactus itaque sum meas minime læsas naves ad faciendam defensionem collocare, & quia procella continuabat, statui hostiles naves, ex quibus poterant homines salvari, destruere; Metus enim erat, ne iterum in manus hostium veniant; verum eas destruere non erat levis

labor, cum fuerit mare altissimum. Centuriones ex navibus Principe, & Neptuno abductis hominibus ex Sanctissima Trinitate, eam submerserunt. Alii præterea tres centuriones advenere Gibraltaria, quos jussi quatuor alias hostiles naves dissipare, non dubito, etiam S. Anna aquis hausta est.

Generatim omnes occupatæ hostiles naves in tam misero sunt statu, ut, nisi tempestas remiserit, dubitem an vel unam possim ad portum adducere. Spero fore, ut Vestræ Illustritates id æqui, bonique consulant, quod ego absolutæ necessitatis legem judicavi, sola enim destructio navium hostilium venit in considerationem. Admiralem Villeneuve recepi in meam navim. Pro Admiralis d'Aliva jam mortuus est. Si tempestas admiserit, & potuero aliqua celoce carere, alios etiam majoris nominis officiales cum eorum vexillis collectos mittam in Angliam, ut Suæ Majestati sistantur.

Classis hostilis vehebat 4 millia copiarum terrestrium sub Duce Contamin, qui una cum Admirali Villeneuve in Bucentauro captivus factus est.

Sum &c.

*C. Collingwood.*

Ordo pugnantis 21. Octobris classis erat sequens: Primum agmen constabat ex 12. navibus primæ magnitudinis, secundum ex 15. præterea 4. celocibus, & duabus minoribus.

Die 22. Octobris duo edidit generalia mandata Admiralis Collingwood; in altero facta tristissima mentione mortis Nelsonianæ omnibus viris gratias agit pro præstita in prælio fortitudine, in quo, ut ille affirmat, singuli Heroes erant, unde gloria patriæ dependet. Eventus belli docuit, quid possint Angli, si eorum opera egeat Rex, & patria. Singulares etiam gratiæ habitæ sunt Contra-  
admirali Northesk.

Alterum mandatum fuit hujus sententiæ: Cum Deo Omnipotenti ex magna sua misericordia placuerit conatus Suae Majestatis classis 21. hujus felici successu, & plena de hostibus relata victoria coronare, & quia immortales gratiæ pro magnis beneficiis nostræ patriæ, & generi humano exhibitis ad thronum ejus gratiæ deferendæ sunt, e re esse judicavi constituere diem gratiarum actionis, namque omnes hominum conatus sine ejus auxilio inanes sunt.

#### Biographiæ.

*Balboa* (Vasco Nagnés de) Castiliensis, ob suas in mari factas expeditiones mature obtinuit celebritatem nominis. In primis suis contra Indos gestis bellis ita fuit fortunatus, ut illis nunquam aliter, quam erga numeratum aurum pacem concesserit, cujus tantam copiam corraserat, ut pro quinta parte Regi Hispaniarum 300. marcas submisserit. Novæ ab eo detectæ terræ parem illum fecerunt Ferdinando Cortezio, & Ame-

rico Vespuccio. A. 1513. conscendit navim sperans se inventurum mare pacificum, vix præterierat mensis, & jam erat in ejus possessione. Sinum, in quem excenderat vocavit S. Michaëlem. Lumborum tenuis ingressus est aquam, altera manu gladium, clypeum altera tenens inclamavit Castilianis, ac Indis in littore stantibus: *Vos testes appello, me nomine Regis Castiliæ possessionem capere hujus maris; Hicce gladius conservabit illi ejus dominationem.* Anno sequenti reversus est ad S. Mariam auro & margaritis onustus. Hispanicum Gubernatorem in hanc urbem venientem nimis perculit conspectus Balbaonis, obsoleto enim utebatur vestitu, misera habitatione, quam tunc frondibus cooperire parabat. Auctoritas, qua is in colonia pollebat, excitavit in Gubernatore invidiam, quare movit ei jam dudum terminatam litem, eumque de perfidia accusatum A. 1517. obtruncari curavit; Sic periit maximus Hispanicus præfectus navis, profecto meliore fato dignus.

*Claviere* (Stephanus) Genevensis, e præcipuis seditiosis A. 1782. Hic tunc effecerat, ut 10. Genevenses, patriæ amantes, ex primis familiis oriundi 4. mensibus squalerent in carcere, ut eo citius revocarent oblatam a tribus Gentibus reconciliationem; At viris his romana constantia id facere, quod petebatur, recusantibus, & Geneva a copiis trium illarum Gentium obsessa, fuga sibi consulit, postquam prius plebem ad pertina-

cem defensionem urbis induxisset. Hinc in exilium missus recepit se in Galliam, ubi dum non posset eluctari ad fastigium fabellarum Russovianarum, prudenter se convertit ad Miraboianas, & Brissotianas adulationes, frequentavit societates, quæ omni amore Nigritas prosequabantur. Hac methodo comparavit sibi aliquod nomen, ut etiam Minister nominaretur; Eum tabernarii, rationarii, scholas deserentes juvenes, Cavenarum amatores laudabant, & sequebantur; Ille hanc tertiam civium classem facile in omnia vitia præcipitavit. Anno 1790. agebat, ut ejus patria in similem cum Avenione statum redigatur. Postquam tandem Parisiis comediam ludere desiisset, fuga per fenestram arrepta evasit quidem, sed paulo post a suis inimicis captus in vincula coniectus est, ubi, ne in infami suggesto periret, se ipsum interfecit.

---

*In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri vendales prostant :*

Tavaszi Virágok. 1805-re. Szedte B. I. Pósonyban 1805. 8 vo 18 kr.

Epistolæ Procerum Regni Hungariæ, quas Georgius Pray collegit, in 4-to 1 fl. 45 xr.

---